


IN NUPTIAS COMITIS ALOYSII MINISCALCHI VERONENSIS ET MARCHION. OCTAVIÆ CAPRA VICETINÆ.



PATAVII. CIƆIƆCCXLIV.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
SUPERIORUM PERMISSU.



F.s Zucchi sculp.



EQUITI AMPLISSIMO
MARCHIONI
MARIO
CAPRA

VINCENTIUS VICARIUS.



NON quia deductum generoso sanguine Avorum
Te Genus Italiæ primoribus inserit, aut quod
Pinguia sexcenti subigunt tibi jugera tauri;
Nec quia sunt magnis dignæ tibi Regibus ædes,
Sceptriferæque Nurus subeunt tua tecta frequenter;
Sed quia progeniemque & opes virtutibus æquas,

 Idcir-

Idcirco hic te quisque, MARI, miratur amatque.
Nam quos sic veri, rectique inscitia cæcat,
Argento ut stulte ac titulis post omnia ponant,
Non Dii non homines hos aspexere; sed illos
Quos pietas, doctrina, fides, quos denique Virtus
A stulto longe removet lateque popello,
Hos Dii muneribus, mortales laudibus ornant;
Horum etiam post fata manet nomenque, decusque.
Magnanimum, justum, sapientem jure, parem te
Principibus quisque, & communem prædicat imis,
Divitiis uti rationem artemque tenentem.
Idcirco & Natis felici Uxore creandis
Dii te auxere, pari genere & quæ moribus îsdem
Egregia fecit lætum te Prole Parentem.
Sed te Natorum quæ est edita prima tuorum,
Cui mores Pietas vera & Sapientia, vultum
Effinxit Venus, incessum Regina Deorum,
Os & dulce loqui Charitesque & maxima Pallas
Adjecere, Deis modo non cælestibus æquat.
Vix pubescentem sed enim VERONA Puellam,
Musarum & Sophiæ sedes VERONA domusque,
Nuptum ad se vocat, & patriis hanc invidet oris.
Anne sibi Urbs illa hac tandem ratione reposcit
Te Matronarum decus ingens, maxima nostri

Gloria

Gloria te, FRANCISCA, soli, quam Jupiter ipse
Avulsam olim Athesi Erethenum traduxit ad amnem,
Matrem ubi tum pulcræ genuisti nupta Puellæ?
O mihi si optatos liceat pervadere lucos
Musarum, vel si citharam præberet Apollo,
Qua te, docte MARI, hunc olim donasse fatentur
Carmina, quæ Nymphæ, & Satyri mirantur agrestes,
Et vicina suos remorantia flumina cursus,
Illa tua ut placido te excepit Villa recessu!
Ut curam Natæ ex abitu tristemque gravemque,
Quæ tua, quæ caræ diffindit corda Parentis,
Munere lenirem sacro ex Helicone petito!
Verum & ab Aonia properantem rupe Hymenæum,
Candida amaracino devinctum tempora flore,
Quassantem tædas, atque aurea vincla ferentem,
Queis juvenum castos cupidorum jungit amores;
Et quales quantique Viri volventibus annis,
CAPRA MINISCALCO *fuerit quod nupta marito,*
VERONÆ, *atque adeo Hesperiæ famamque decusque*
Aucturi sint consilio rebusque gerendis,
Repenti per humum sermone hoc dicere non est.
Sed quæ fatidico plaudentes carmine pandunt,
Huc duce me quotquot modo convenere lubentes
Assueti citharæ cantus aptare Latinæ,

 Com-

Comparat egregio tua dum se OCTAVIA *Sponso ;*
Quem tibi tale creat talis tantæque puellæ
Dissidium, his animi paullum solare dolorem.
Vive, vale, Uxorem, Natos, Sponsam, Generumque,
Teque, MARI, *Dii auctent valde felicibus annis.*






Zucchi sulp

Veduta da Ostro della Rotonda del Sig.r March.e Capra



VINCENTIUS VICARIUS

POETIS.



Os mecum huc ſacri Vates,
OCTAVIA dum ſe
CAPRA MINISCALCO nubit
ALOYSIO.
Hic ubi vicina montem vix dum
Urbe relicta
Inſtituit Bericum lambere Bacchilio,
Leniter acclivis poſita eſt in vertice collis
Artis opus raræ Villa, cui ſimile,
Ex quo illam exſtruxit faber is cui inclyta Pallas
Et nomen dedit ex nomine habere ſuo,
Nil noſtri videre patres, nil tale nepotes
Cernere venturo in tempore poſſe putant.
Quattuor hic totidem ſpectes ſurgentia ſcalis
Quattuor ad cæli hexaſtyla verſa plagas;
Quadratæ aſt ædis, cui hæc annexa, rotundus
Qui in medio, apta hunc obtinet aula locum,
Quam ſuper exſtructus celſa teſtudine fornix
Sic tegit, ut ne almus exſulet inde dies.
Nam lux per ſummi demiſſa foraminis orbem
A mane hic Solem præbet ad occiduum

Spectanda in parvo veluti picta amphitheatro
 Quæ septem nobis sunt propiora poli
Sidera imaginibus repræsentata superbis,
 Effinxit rari quas manus artificis.
Porro hexastyla huic aulæ, ceu pontibus, æque
 Junguntur paribus quattuor atriolis.
Atriolo camerata cuique cubicula utrinque
 Bina, ubi dant varias perlegere historias
Affixæ circum tabulæ, digestaque signa,
 Quæque tegunt molles stragula picta toros.
Prima apte extremis, mediisque extrema cohærent,
 Quadratis miro & juncta rotunda modo.
Nam quid concinnas supraque infraque diætas
 Describam? plane principe digna domus.
Sæpe exempla sibi hinc dites petiere Britanni;
 Angliæ at huic similem denegat ipsa situm
Natura, hinc scenis nemorum quem & collibus ornat,
 Planitie hinc, campos flumine & uviferos
Findente, & pinguem pratis præbente liquorem:
 Quid? nemorum hic choreas suetæ agitare deæ.
Gens tenet hæc Tempe, gaudet quæ nomine Capræ,
 CAPRA decus Berici Gens fuit usque soli.
Nomen at unde domus? clypeis ne insigne coruscis
 Quod Capram, antiqui, insculpere suestis, Avi,
Cum retro obstantes pepulistis sæpe catervas,
 Germanos gelidis qua rigat Ister aquis?
An quia Dictæo clarum genus ab Jove ductum?
 Nam puerum pavit lacte Capella Jovem.
Is quoque qui vestris insignibus insidet ales
 Indicio est Divûm vos genus esse patris.
Hic sed enim hac de Gente parat se OCTAVIA, Vates,
 Nupta MINISCALCO tradere ALOYSIO.
Huic Sponsæ MARIUS pater est, cui Jupiter ipse
 Multa dedit pinguis jugera habere soli,

Artes


Artes ipſa ſuas Sophie, ſua carmina Apollo
    Huic dedit, & dulci quæ velit ore loqui;
Ingenium ut ſummi paſſim mirentur & imi
    Victuri tempus talis in omne Viri,
Seu rerum cauſas aperit, ſeu carmina condit,
    Conſilia aut miro explicat eloquio;
Seu quid ſit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
    Et voce, & vita perdocet ipſe ſua.
CÆCILIA huic thalamo conjuncta eſt TRISSINA, tanti
    Gloria qua creſcit Conjuge ſumma Viri;
Nec tantum decoris ſanguis generoſus avorum,
    Quantum addit laus huic rara pudicitiæ,
Ingenium mite, & virtutum quidquid ubique eſt,
    Quod fugat a ſancto jurgia conjugio.
Aſt illi primo quæ proles edita nixu eſt,
    Jupiter, ut pulcra, ut ſcita Puella fuit!
Nec tamen hæc ſolum ore refert, formaque Parentes,
    Verum etiam æquiparat indole, & ingenio;
Quam inſignem pietate, bonis & moribus auctam
    Ipſa artes docuit culta Minerva ſuas;
Matronam ut quæcumque decent norit teneatque
    Nec dum bis annos nata Puella novem.
Si tamen, ut par eſt, animum quandoque relaxat,
    Spectatum cælo deripit illa deos,
Seu choreas agitat, ſeu illi tacta ſcienter
    Reſpondent tremulis cymbala ſub digitis.
Nimirum hæc illa eſt, quam dixi, OCTAVIA; quam mox
    Dulcis Hymen pulcro tradet ALOYSIO.
Et merito talem dat Hymen tibi habere Puellam,
    Quam ætate & forma & moribus æquiparas;
Nec tibi, ALOYSI, minus eſt ſapienſque bonuſque,
    Patria quem rebus præficit uſque, Pater;
Qui ſapiens utrum magis, an ſit ditior, ecquis
    Diſpicere, huic ſummum cum ſit utrumque, queat?

Nec

Nec mage Matre tuæ gaudet VICETIA Sponſæ,
Quam jactat ſe VERONA Parente tua;
Quæ licet ÆMILIÛM generoſo ſanguine clara
Sit, virtute tamen eſt mage clara ſua.
Multa quidem vobis, ſed non tamen omnia, debet,
Nobile par, veſter ſanguis ALOYSIUS;
Divitias certe atque genus, fortaſſis & illud,
Quo ſimilis veſtri eſt, indolem & ingenium.
Sed quam carminibus doctrinam ſæpe Latinis
Explicat, aut Italis illigat hic numeris,
Unius eſt hæc tota ſuo quæſita labore,
Quo ſine non illum viderit ulla dies.
O VERONA tuis fortunatiſſima alumnis,
Summo æque atque olim nunc quoque cara Jovi!
Quandoquidem Pliniosque Catulloſque atque Nepotes
Divûm æque atque olim dat tibi habere pater;
Quamque tuus quondam docuit Vitruvius artem,
Te penes eſt priſcum rurſus adepta decus:
Nec Roma ipſa magis ſtudioſe exercuit olim,
Quam VERONA artes nunc colit ingenuas;
Et quo quiſque magis generoſo hic ſanguine claret,
Hoc quidquid pulcri eſt pergit amare magis.
Quos Juvenes igitur clare exſplendeſcere gaudes,
VERONA, hos inter fulget ALOYSIUS,
Cui Vicetinas inter pulcherrima nuptui
Traditur, huic uni nata Puella Viro.
Par Juvenum felix! quos, ſi quid carmine poſſem,
Non ulla obſcura nocte dies tegeret.
Sed quanquam me hæc deficiunt ad munera vires,
Non veſtrum indictum carmine nomen erit,
Nec qui Atavos referent ſimili virtute Nepotes,
Queis bonus augebit Jupiter hunc thalamum.
Namque MINISCALCAM Sobolem quæ deinde ſequatur
Gloria, fatidicis verſibus expedient

Qui

Qui huc mecum advenere boni cantare Poetæ;
　　Phœbus enim pater his noſſe futura dedit,
Atque ea quæ norunt, jucundo pandere verſu,
　　Atque avidas hominum immittere in auriculas.
Mi quoque ſat cupida quæ pandent excipere aure, &
　　Prolis, Aloysi, diſcere fata tuæ.
Eja agite, o Vates, jam nunc & Sponſus uterque
　　Incipiant Prolis diſcere fata ſuæ.
Cernitis Aonia ut properans a rupe Hymenæus
　　Cum tæda huc aditum flammeoloque ferat?
At vos, quæ huc veteri exſiluiſtis more, puellæ,
　　Queis paria adveniunt gaudia parque dies,
Vos quoque dicite Hymen Hymenæe, ut rite vocatus
　　Ad fauſtum hoc properet ſic mage conjugium.
Sic quem quæque virum tacita dehinc mente petetis,
　　Hoc vobis Juno det bona poſſe frui.



VALENTINI MATTHÆINI
PATAVINI.

O Diem niveum ac nimis beatum!
Quo non exoriens venuſtiorem
Terris attulit, afferetve Titan.
Muſa o quin citharam moves tacentem?
Res eſt digna jocis, tuoque cantu.
Exit conjugio ligata fauſto
En Octavia; plurimis puella
Præſtans dotibus, integraque mente.
Illa deliciæ puella Matris,
Urbis deliciæ puella noſtræ,
Quam nurum cupiere mille matres.
O diem niveum ac nimis beatum!
Suaves nonne vides duos (venuſtum
Quantum flammeolum, ſui pudoris
Tutamen, patitur videre) ocellos?
Queis mille aligeri ſolent Amores
Sæpe dulciter incubare, lætus
Dum quaſſans geminas faces Cupido
Præit, turturis alitem, ferenſque
Roſas, queis decoret leves capillos;
Pulcras cerne genas, labella cerne
Queis ſe Punica mala, conferatve
Murex ſe Œbalius, Tyriuſque fruſtra, aut
Si quid pulcrius his venuſtiuſque.
O diem niveum ac nimis beatum!
Muſa o quin citharam moves tacentem?
Hæc ſi pingat acu audienda natis
Bella, atque egregios Patrum labores,

Vincat

Vincat Sidonias acu puellas.
Blandis articulis levem decenter
Si tractet citharam, tuas sorores,
(Dicam pace tua) Camœna, vincat.
Hac VICETIA Civitatum ocellus
Jam nec viderat, aut videbit unquam
Vel per sæcula mille cultiorem:
Exit conjugio hæc ligata fausto.
O diem niveum ac nimis beatum!
Musa o quin citharam moves tacentem?
Adstant candidi & optimi Parentes,
In has erudiere qui tenellam
Artes, Romuleæ Pater simulque
Hetruscæ MARIUS decus Camœnæ,
Ille & Principum amor, suæque Gentis.
Casto conjugio suæ puellæ
Gaudebatque simul, simul dolebat
Jampridem inclyta stirpe TRISSINORUM
Mater edita, dum suam puellam,
Quam vel plus oculis suis amaret,
A semet videt heu procul migrare.
Sed non lacrimulis madescit, urbe
Externa Generum procul venire
Læta ut conspicit. Hunc mei Catulli
Clara Urbs, nobilium parens virorum
Tulit candidulum venustulumque
Præ centum. LODOIX adesto, sparge
Jam, marite, nuces, tuis Cupido
Ardet sedibus intulisse Sponsam
Ablatam gremio suæ Parentis.
O diem niveum ac nimis beatum!
Hanc tu deperis omnibus medullis,
Hæc te deperit omnibus medullis.
Sponsi candiduli venustulique,

Ad-

Adeſt Heſperus, & cupita tandem
Nox; ſi non generant feræ columbas
Imbelles aquilæ, favente tandem
Lucina, breviter tori cupitum
Pignus luminis egredi ſub auras
Dias conſpiciam, exprimens utrumque
Et virtute, & amabili decore.
Adeſt Heſperus, & cupita tandem
Nox vere nivea ac nimis beata.
Ingratos cohibe, Camœna, cantus.



UBALDI BREGOLINI
TARVISINI.

Est, ubi Apollinea nondum bene ſede receptum,
Nec ferre ad ſacros aſſuetum labra liquores
Commendat tacitum pudibunda modeſtia vatem.
Nunc tacuiſſe pudor; nunc ipſa modeſtia culpam
Contrahit, in vitium facilis prolapſa videri,
Cum ſimul Italicæ Muſæ, Muſæque Latinæ
Contendant cantu, totoque Helicone reſultet
Hymen, atque cavis Hymen de vallibus Echo,
Echo utriuſque iteret felicia nomina Sponſi.
Carminis ampla ſeges: nec vero latior unquam
Obtulit ingeniis vatum ſeſe area; Juno
Non ullis gaviſa magis eſt pronuba vinclis.
En modo Cyrrhæo tenuat ſibi carmen in antro,
Romaniſque modis, Octavia, claudere laudes
Pars ſudat ſtudioſa tuas; pars altera oloris
Hetruſci niſus, dextroſque ſecuta volatus
Te reſonare docet ſilvas, Lodovice, lacuſque.
Ipſe ego, quæ plectro Clio modulata Latino
Concinuit, referam, ſeriſque nepotibus edam.
Servarunt reliquæ inviolata ſilentia Muſæ,
Dum canit illa; Eurus poſuit; ſtetit unda, ſacroſque
Excepit verſus arrectis auribus omnis.
Sic, dum populea mæret Philomela ſub umbra
Attonitæ volucres incondita murmura ponunt:
Illa auſus Terei inſanos, furiaſque ſororis
Dulce canit, cantuque petit fomenta dolori.
Nata Jovis, Jove digna loquor: Jove digna loquenti
Credite. ſunt patri ſunt vincla jugalia curæ;

Quoſ-

Quosque hujus dulci vescentes ætheris aura
Felix thuriferas Hymenæus nectit ad aras,
Hos ante omnipotens æterno fœdere junxit,
Quam nostri in dias exirent luminis oras.
Quippe Animæ Heroum ingentes, quasque ignea Virtus
Sublimes terra ad Divûm vehit aurea templa,
Sidereos habitant orbes. ibi mutuus illis
Vincula nectit amor: vinctas ibi lege marita
Consociat genitor: jam tum qua prole parentes
Ditet, quæ extremos maneat fortuna nepotes,
Alta mente Deus statuit. Decreta jubentis
Excipiunt Parcæ, scribuntque adamante perenni.
Non novus est, LODOVICE, tuus, quo funditus ima
Ossa calent, ardor: non nuper lampade adussit
Molle tibi Veneris proles, OCTAVIA, pectus.
Jamdudum facilis castos Hymenæus amores
Sensit; jamdudum vestro aurea vincla paravit
Conjugio, accenditque faces Lucina jugales.
Ignibus arrisit vestris, thalamosque beavit
Jupiter, & pleno diffudit munera cornu.
Quæ mihi tum genitor felicia fata canebat
Natorum ostentans seriem, magnosque Nepotes
Ordine dinumerans, patriumque in nomen ituros!
Gaude felici, gaude, VICETIA, Sponsa.
Quos Cives Patriæ illa dabit! quos optima Natos
Patri alet! & teneros queis moribus imbuet annos!
Aut quantum tanta crescet tua gloria alumna!
Non illam tantum formosi gratia vultus,
Stellantesque oculi, & rutilantes verticis aurei
Exuviæ decorant: quamvis stupefacta juventus,
Turbaque miretur matrum altæ frontis honores,
Et fusum ingenue calefacta per ora ruborem.
Casta placet, pudibunda placet. sic gratior illi
Ora Charis pingit, residetque in fronte Cupido;

Quale

Quale auro artificis docta circumdatus arte
  Carior eſt adamas, puraque in luce niteſcit.
Quid tu iſtam nimio devictus vulnere amoris
  Suſpiras, pendeſque inhians ridentis ab ore?
  Jam, LODOVICE, tua eſt: ultro jam fœdere firmo
  Ipſa tibi ſeſe addixit, propriamque dicavit.
  Incolat aſſidue veſtras Concordia ſedes,
  Et quæ præluxit thalamis fax pinea veſtris,
  Uſque ſuas ſervet flammas, dextraque potenti,
  Nupta, tuos Cytherea ſinus contingat, & illum
  Omnivoli revocat quo Juno Tonantis amorem,
  Det facilis ceſtum tibi, ut in te deditus una
  Unanimis Sponſus tecum vitæ expleat annos,
  Et poſſit caros Mater ſperare Nepotes.
Speret io. jubet eſſe ratam ſpem Jupiter ipſe,
  Aucturuſque brevi clarorum facta Parentum
  Infans naſcetur generoſæ gloria Gentis.
  Hanc ferat ut lucem rapidis Aurora quadrigis
  Ah, precor, ah celera decimum, bona Cynthia, menſem,
  Et vos ſollicitæ properate o vellera Parcæ.
Fata cano. natæ genitor quæ fata recluſit,
  Præſcia venturi vobis ego carmine pando.
  Qua primum ille die noſtros puer induet artus,
  Diffugient toto infelicia ſidera cælo
  Propitiis ceſſura locum. meliore nitebit
  Parte poli Venus, inque ardentia lumina natæ
  Jupiter inflectens læto pia lumina vultu.
  Clarior haud unquam Eois Sol ſurget ab undis,
  Haud ullæ clarum velabunt æthera nubes.
  Juno vocata aderit, ne pectora ſtantia lædat
  Ponderibus puer, aut uteri ſecreta fatiget.
  Sed placidus lætæ labro ſemihiante parenti
  Ridebit, carpetque apprehenſa oſcula ab aure.
  Vellera ſollicitæ properate o vellera Parcæ.

Parvulus aſſiduis durabit membra palæſtris.
Non illi quiſquam juvenis ſe conferet unquam,
Aut pedibus choreas plauſiſſe, aut enſe coruſco
Nunc ictus inferre, cita nunc pellere dextra.
Frænato lucens in equo modo paſſibus ibit
Tardis, difficilem expediens curſum, atque recurſum
Oppoſitis ſpatiis, glomerans atque orbibus orbes:
Æquore nunc vaſto, ſpumanti ubi fræna remiſit,
Diffugiet rapidus, volucrique ſimillimus Euro,
Qualis in Eurotæ ripis fræna aurea tractat,
Pondere lætantem Pollux cum Cyllaron urget.
Quis, LODOVICE, tibi, dum cernes talia, ſenſus?
Quæ tacitum, Mater, mulcebunt gaudia pectus?
Illum quam multæ ludentem in gramine matres
Optabunt generum, ſuſpirabuntque puellæ!
Vellera ſollicitæ properate o vellera Parcæ.
Mox, juveni poſtquam matura adoleverit ætas
Quos Aganippeis ducet de fontibus hauſtus,
Aut illum quanto ſaturabit nectare Phœbus!
Quamvis occultis naturæ condita cauſis
Omnia ſolertis luſtrabit lumine mentis.
Noſtris ille choris mixtus nunc ludet amores,
Nunc majore tuba Heroum ſuper aſtra locabit
Virtutes, & ſe nolens laudabit in illis.
Tum plectrum juveni cedam; tum gaudia Pindus
Ducet, & antiquum vertentur tempora in aurum.
Vellera ſollicitæ properate o vellera Parcæ.
Jam juvenis, jam vir, jam plenis grandior annis,
Cernitis, ut meriti decore illuſtretur honoris!
Res patriæ vaſta tractantem, & publica mente
Expedient vigiles per acuta negotia curæ.
Præſidium innocuis inſigne, ingrata nocentum
Munera rejiciet, perque obſtantem arma catervam
Juſtitiæ expediet vindex, rigiduſque ſatelles.

Servent

Servent fata diu patriæ; nec Jupiter almus
Ocyus ad cælum, nativaque ſidera tollat.
Donent fata brevi patriæ, nec Jupiter almus
Longius ad cælum, nativaque ſidera ſervet.
Vellera ſollicitæ properate o vellera Parcæ.
Hactenus illa canit: læto tum murmure circum
Mons omnis ſonuit; fauſtum de parte ſiniſtra
Jupiter intonuit, mediaque in luce refulſit.

BARTHOLOMÆI ZIGGIOTTI

VICETINI.

ALME pater fluviorum Atheſis, quo ſemper amico
Bacchilio innumeris hucuſque eſt uſus ab annis;
Quæ VICETINA nunc ad te devenit Urbe
Virgo, MINISCALCO Juveni deſponſa, tuamque
Auctura egregiis VERONAM civibus, atque
Forma pulchra, bonis & nata Parentibus, & quæ
Nobilitate tibi decus, & virtutibus addat:
Quos AVIÆ, precor, iſthac olim ex Urbe profectæ
Et tribuit meritos, & habet VICETIA honores,
Hos NEPTI tribuat pariter VERONA merenti,
Urbſque Urbi reddatque vices, grateſque rependat.



PETRI BALDARINI
VICETINI.

CAPRA inter Bericas longe pulcherrima Nymphas,
Et Vicetini gloria magna soli,
Nupta MINISCALCO parat, heu! discedere longe;
Quam tumido hinc ad se flumine fert Athesis.
Ah Athesis, Athesis, quo avertis gaudia nostra,
Invide? materno gaudia rapta sinu?
Sat tibi sit nuper, Justo poscente, Puellam
TRISSINEAM patrios deseruisse lares:
Cujus formosis Reron vicinus ocellis
Captus, sæpe udo sustulit amne caput.
Bacchilio, & Reron, Nympharum maxima cura,
Et Venus, o vestram, numina sancta, fidem!
Si pia mens nobis, si nulli obnoxia culpæ,
Urimus & sanctis thurea dona deis:
Ne sinite egregias externo flumine Nymphas
Abduci; ni omnes hinc abiisse juvat.
Omina diique deæque omnes avertite; venti,
Aeriæ & nubes diripienda ferant.
Ast bonus interea, correptus amore Puellæ,
Ad thalamum Sponsam ducit ALOYSIUS.
O nimium felix, nimiumque in amore beatus,
Quem fovet in casto sancta Puella sinu!
Has pueri mæstas simul innuptæque puellæ
Fundebant voces, non sine lacrimulis,
Tundebantque cavis mærentia pectora palmis,
Bacchilioneæ qua fluit humor aquæ.
Ut querulas voces, mistum lacrimisque dolorem
Audiit ex imo flumine Bacchilio;

Con-

Continuo vitreis glaucum caput extulit undis,
Atque hos ſubridens fudit ab ore ſonos:
Quis dolor, o pueri, veſtras, caræque puellæ,
Inceſſit mentes? CAPRA quod ad thalamum
Ducitur, atque Atheſis, flumen nobis venerandum,
Eripuit, tot ſuſpiria, tot lacrimæ?
Ponite corde metum, turbatos tergite ocellos,
Ne quis vos flentes (ſi pudor) aſpiciat.
Non gratum eſt nobis alieno flumine Nymphas
Omnes abduci; ſic mea lympha pede
Semper eat facili; brumæ nec frigora tardent,
Nec noceat leni Seirius ardor aquæ.
Unam Atheſis poſcit: non æquum Atheſi adverſari;
Annuit & votis non ſemel ille meis.
Vos ſinite hanc, quando maturo tempore adepta eſt
Conjugium, atque pari nobilitate Virum,
Longius ire: brevi partu diteſcere dulci
Sancta dabit Venus, & rite vocatus Hymen:
Virgineique chori explebit numerum, uberiuſque
Fœnore cum largo damna rependet Amor.
Sic ait; & dictis triſtem lenire dolorem
Viſus: tum excepto mugiit unda deo.



ALEXANDRI MALDURII
VERONENSIS.

Hanc dixere diem, ternæ quæ fila Sorores
Provida neverunt, quæque futura neunt;
Hunc fore cui Capram vultuque & dotibus aureis
Aureus æterno fœdere junget amor.
Evenit. Dat ſigna Deus; jam pronuba Juno
Quaſſat divina flammea docta manu.
Lætus Hymen, Bacchi & Veneris dulciſſima proles,
Huc venit oſtrina nobilis in tunica;
Cujus inauratum latus, & manus ipſa pyropo
Fulget, & in ſocco Perſica gemma nitet;
Qualis ad Hermionem fertur veniſſe, priuſquam
Tincta foret Pyrrhi ſanguine magna domus:
Et bene cum circum cæleſtia lumina vertit
Fatidicus tales edidit ore ſonos:
Salve Connubium, cui par non protulit ætas,
Maxima cura hominum, maxima cura deûm.
Candida promerito vobis naſcentibus aſtra
Donarunt hilares & ſine nube dies;
Quin tibi, bella Puella, dedit ſua munera Cypris,
Ridentes oculos lacteolaſque genas.
Quidquid agis, decor eſt; quoquo veſtigia tendis,
Componit furtim pulcra Thalia gradus.
Sed manet aulæis ſedes pretioſa ſuperbis:
En agedum longas ſolve Puella moras.
Illic ſuccreſcet Proles, quæ facta Parentum
Augebit titulis conſpicienda novis.
Illic ære potens ſurget Zaninius alter,
Lata cui findent jugera mille boves.

Ne

Ne pigeat parvo, Marce, invigilare Nepoti,
Dulciaque a puero baſia ſurripere,
Et balbas interdum audire ac reddere voces:
Facta tuam extollent grandia canitiem.
Dixerat: inſolito radians ſe ſuſtulit alte
Aera per medium proripuitque deus;
Et domus ambroſiæ jucundo riſit odore.
Ah mihi ſi liceat tot ſupereſſe dies!
Tunc ego Muſarum ſacros digreſſus in hortos
Bellerophonteis ora lavabo vadis,
Neglectaſque lyræ chordas plectrumque movebo,
Deducens veſtris laudibus omne melos.



COMITIS

ALFONSI MONTENARII

VERONENSIS.

HUc huc Hendecasyllabi, lepórum
Pleni, Jupiter! & facetiarum:
Nam tædas quatit eminus coruscas
Gnatus Uraniæ, undequaque & umbras
Noctis irradiat tenebricosæ;
Jamque ad magnanimum Virum Puellam
Rapit, cui Charites, Amorque ocellis
Labrisque, ac genulis, papillulisque
Sedibus veluti in suis refulgent.
Proh quales humeri! oris & venustas
Qualis est Juveni, breví maritò,
Qui se se ad sobolem parat creandam!
ALOYSIUS hic vocatur, illa
Verum OCTAVIA, cui parens VICETIA
VERONÆ Juvenis parenti amata
Tantum, quantum amat impotenti amore
Puella hæc puerum, hic puer puellam.
Sed ambo in thalamo pares jungantur;
Exstinxit faces Hymen, reditque
Umbrosos Heliconis ad recessus.
Vos ergo & Veneri, Talassioque
Ter quater canite altius lepóres,
Pro nucum strepitu, facetiasque.



N. N.

VERONENSIS.

NYMPHÆ quas Atheſis pater trecentas
Ulnis confovet, atque alit tepenti
Lympha, hos en tibi, quæ venuſtiorum
Longe pulchrior es juvencularum,
Carpſerunt digitis ſuis tenellis
Flores, litore qui haud procul virenti
Fragrant omnigena ſuavitate.
His addant alios venuſtiores
Rero quas genuit pater ſorores,
Quæ te olim riguis aquis ovantes
Luſtrarunt utero editam ſub auras
Vitales, quater & magis beatæ.
Tum flores varios legens Iolas
Cultor Pieridum novem ſororum.
Mentemque Aonio repletus œſtro,
Contexet geminas manu corollas,
Alteram tibi & alteram Marito,
Cujus os, oculique, candidique
Mores, ingenium pium ac pudicum
Cæleſtem referunt ſuavitatem.
Salvete o decus, o perennis ævi
Noſtri gloria, Conjuges, amore
Vincti perpetuo tenacibuſque
Nodis: numine vos dii benigno
Servent incolumes magis magiſque;
Dentque blandidulos videre gnatos,
Qui probi, dociles, & integelli
Mores atque animum exprimant Parentum.

N. N.

N. N.

VERONENSIS.

PONE modum lacrimis: nimium neu, Virgo, dolori
Indulge, patria cum tibi abire domo
Nunc jam præcipitur. Multis magnisque relictis
Divitiis opibusque, haud equidem abnuero,
Discedis: non cara Patris, non dulcia Matris
Amplius ora tibi fas erit aspicere:
Et Fratrum sejuncta ab lusibus atque Sororum,
Quod reliquum est vitæ, transigere incipies.
His tamen occurrent pro cunctis maxima dona,
Quæ fortuna tibi & fata secunda ferunt;
Ut patriam atque domum & dulces liquisse Parentes
Ullo te nunquam tempore pœniteat.
Scilicet egregio in primis jungére Marito,
Qui forma, eloquio, moribus, ingenio
Aut tibi Narcissus forte, aut videatur Adonis,
Aut ipse Aonii ductor Apollo chori.
Et Socer & Socrus contingent insuper illi
Qui tibi vel Matris, vel Patris instar erunt.
Tum celsas ædes atque aurea tecta subibis,
Quæ incolere Idalia haud respuat ipsa Venus.
Hic famuli famulæque; argenti hic pondus & auri;
Hic lusus mille, & deliciæ omne genus.
Denique quod forma fuerit, quod sanguine dignum
Cumque tuo, haud deerit id omne tibi.



JO.

JO: BAPTISTÆ TOBLINII

CAVALIONIS PAROCHI.

QUID, o lacrimulæ meæ Puellæ,
Quid vultis? mea flet Puella, dum mi
Nubit? illa me amore nonne tanto
Videbatur amare, quanto amore
Suum unquam tenerum unum amantem amaſſe
Fertur ebria virgo? nunc potita
Me ſponſo, lacrimatur? heus boni dî,
Quidnam hoc eſt? mei eamne tædet? at ſim
Stulte injurius optimæ Puellæ,
Ejus ſi addubitem de amore: eaſdem
Has amor lacrimas movet. cupito
Cum primum potitur viro, redundat
Nupta fervida gaudio: hoc teneri
Intus dum nequit, ejus ex ocellis
Erumpit lacrimando. pergitote,
Dulces lacrimulæ, ex amore natæ,
Largiter fluitare. non moleſtum eſt,
Vos corrumpere lucidos ocellos;
Non, turpare ſinumque, vinulumque
Oſcillum, & roſeas genas Puellæ:
Mi vos, lacrimulæ, facit Cupido
Riſu dulciculo eſſe dulciores.



ANDREÆ THEOPHILI ZINELLI

VERONENSIS.

COMMENDO tibi, nobilis Dione,
Impubem optimum, & optimam Puellam,
Par dignum ſtudio tuo perenni:
Ambo ſunt ſimiles amore, & annis,
Blandi, & ingenui ambo, & elegantes.
Tu illis molliculos para lepóres,
Illos deliciis bea cupitis,
Jociſque, illecebriſque, gaudiiſque
Cunctis. at propiore ludat anno
In aula egregia Puer venuſtus,
Puer, cui facilis, precor, miniſtres
Ipſa; ſique videbitur moleſtis
Faſciis teneros revinctus artus
Forte ullam edere vagiens querelam,
Tu met lacrimulas manu ſuavi
Deterge, & placidas benigna cunas
Mota, non ſine verſibus jocoſis.
Tum ego, Diva, caput virente myrto
Cinctus te celebrem, tuumque natum
Cultis hendecaſyllabis trecentis.



FE-

FEDERICI MAUNICI

ADOLESCENTIS NOBILIS TARVISINI.

Luce hac, ſidera qua ſuis
Expellens radiis æthere nubilo
Phœbus culmine Berici
In ſummo, quam alibi, ſplendidior micat;
Et multum ruit alveo
Spumanti tumidus Medoacus minor;
Qua Vicetia nobilis
O quantum eſt hilaris! qua undique perſonant
Plauſus, qua pueri canunt
Gaudentes, teneræ carmina virgines
Dicuntque, atque ſonant, ſolum
Et pulſant celeri ter pede fertile,
Ut Nymphæ niveæ ſimul
Feſtivo juvenum cum Charitum choro:
Vates, tempora mollia
Cingit queis redolens germen Apollinis,
Qui res conſpicuas, viros
Illuſtres canitis, qui armaque fortia,
Nunc nunc ſumite barbiton,
Nunc nunc veſtra canat Calliope dea,
Sponſos tollite nunc novos
Veſtris carminibus ſidera ad aurea.
Sponſus, Sponſaque nobilis
Veſtris vera manent materies modis.
Vos, Octavia, cernite,
Quam ſpectabilis eſt ſtirpis origine,
Et virtutibus inclytis,
Cujus jam Proavi moribus & bonis,

Doctiſ-

Doctisque artibus, enseque
  Illustres Patriam fama, & honoribus
Ornavere suam. Ut gravis
  Est, prudens, sapiens, sanctaque, castaque,
Formaque egregia nitens!
  Ille ortus jam Atavis nobilibus Puer
Clarus, præditus artibus
  Doctis, conspicuo & mentis acumine est,
Quem VERONA suis tenet
  In magnis celebris semper honoribus;
Castus nunc Hymenæus hos
  Jungit, jungit Amor conjugii jugo.
O quos hi Pueros dabunt!
  Quæ ex illis geniti grandia facta agent!
Si par filius est patri,
  Nascunturque boni fortibus & bonis.

COMITIS

PETRI DE COMITIBUS

VICETINI.

O TER felices Athesis gaudete puellæ;
  Collibus a Bericis extera Sponsa venit;
Extera Sponsa venit, laus vestræ & gloria terræ,
  Quam celebrare novus, digna, Catullus amet.
Os illi egregium finxit Venus aurea, plures
  Inque artes Pallas præpropere erudiit.
Nobilitas, gazæ, tituli, laus ultima Sponsæ;
  Emicat illa magis dotibus ingenii.
Quam pulchrum, VERONA, tibi VICETIA munus
  Affert! redde olim tu quoque grata vices.

MI-

MICHAELIS PAVANELLI
VICETINI.

QUID cessas, blandam complexa OCTAVIA Matrem,
Aureolum e patriis ferre pedem laribus?
En tibi Pierio properat de colle Hymenæus,
Cinctaque amaracino tempora flore gerit.
Quid cessas? novus en prope adest tibi, Nupta, Maritus,
Candidula comsit quem Cytherea manu.
Ipsa quoque, en, juxta venit. Eja age: cuncta parata
Sunt tibi: jamjam se surripit alma dies.
O quales posthac per sæcula multa Nepotes
Ex tali ac tanto surgere conjugio
Laudibus eximiis cernes factisque decoros,
Quorum fama diu crescat in ora virûm!

COMITIS
OCTAVII ERNESTI ÆMILII
VERONENSIS.

OPTARANT Charites præstanti hinc ore puellas,
Hinc doctos Pallas, belligerosque viros.
Connubio tanto, dixit præsagus Apollo,
Vos lætæ, Charites, tu quoque, Pallas, eris.



JO-

JOSEPHI GERARDI
ARCHIPRESBYTERI CAVASII VICETINI.

Quid nunc, potentes dulcisonæ lyræ,
Refert, Achæi, dicere nuptias
Cressæ puellæ cum Lyæo
Patre? quid & celebrare sortem
Qua vultis auctum Pelea, cum Thetin
Conduxit uxorem ad patrios lares?
Frustra; facessant jam canora
Somnia; nulla fides apud nos.
Ille est beatus qui Dominum timet,
Ejusque sanctis ambulat in viis;
Beatus, æternoque in ævo
Jure beatior est futurus.
Ut vitis udo quæ latere in domus
Plantata mitem educat atque alit
Uvam educatam dulci ab imbre, &
Uberiore solo tumentem:
Sic hujus uxor pæne feracior
Integra puris moribus & sinu
(Munus Tonantis grande) multa
Prole virum, proavosque ditat.
Juvat videre a termite pendulos
Fructus olivæ; sed magis ut juvat
Virumque, & uxorem videre in
Circuitu sobolem assidentem
Mensæ! Beatus jure Aloysius,
Verona mater quem pia nutriit,
Quem prisca Avorum lux coruscum
Efficit, at sua clariorem:
Quem Musa doctos ducit in hortulos,
Donatque lingua carmina scribere

Utra-

Utraque, quem Paullus docere,
Vitruviusque ſtudet ſuam artem!
At plus beatus, quod benedictio
Deſcendit alto dulcis ab æthere,
Dum jungitur CAPRÆ, venuſtæ
Suaviloquæ, lepidæ Puellæ.
Si, auctore Cælo, pars bona dicitur
Uxor bona, & juſto dabitur viro
In præmium virtutis; o te
Parte, ALOYSI, beatum ab omni!
Hæc vitis illa eſt cui dederit Pater
Ornare multis fructibus, & bonis
Gentem MINISCALCAM, futurum
Splendeat ut mage mox in ævum.
Amœne gaude nunc Atheſis, manu
Et plaude, Cives artibus inclytos
Pulchris videbis mox, tuaſque
Famam iterum celebrare ripas.
Lætare felix tu quoque, Berice,
Quem DIVA, capta ſede, colit ſacrum:
Exſulta ut agnus, quando clarum
Abs te Atheſis repetit decorem:
Voceſque, plauſuſque audiat invidus
Orci Tyrannus; jam inſidias, bonis
Non his timendas, ſed ſceleſtis,
Conjugibus, ſtruat uſque dirus.
Timenda vis eſt Dæmonis, & dolus
Proh quantum! ab illis quos mala copula
Jungit, Deum arcentes pudenda
Mente, ut equus, rudis aut aſellus.
Fruſtra latrantem quid timeant canem
Sponſi pudico Tobiadæ pares?
Non cæca ſubvertit libido, at
Prolis amor rapit hos honeſtus.

FLORIANI REXICI FALISCI.

MENE, jam ſenio gravem,
Nuptialia dicere,
Dive tædifer, excitas?
Men' vocas juvenilibus
Modis plaudere Nuptæ?
Aſſuevit tremulum caput
Omnia annuere omnibus.
Nollem Rexicus; at caput,
Invito me etiam, annuit:
Ergo rite canendum eſt.
Sed quid lætitiam, & jocos,
Quid chely veneres dabit,
Lepóreſque, facetiaſque?
O quid reſtituet bonæ
Robur omne juventæ?
Dive tædifer, inſciis
Mira pandere, tempus eſt;
Tempus, prodigiis rudes
Erudire. fac illico
Prodeat nova Nupta.
Nupta jam nova prodiit:
Hoc mi lætitiam, & jocos,
Lepórem, & veneres dabit;
Hoc mi reſtituet bonæ
Robur omne juventæ.
Quantus eſt oculis nitor!
Qui labris rubor, & genis!
Fronti quæ gravitas! ſedet
Forma, gratiaque, & decus
Vultu, & corpore toto.

Tres

Tres quondam referunt Deas
  Idæi ad nemoris jugum,
  Te ſub judice, Phryx Puer,
  Conveniſſe. Dieſpiter!
  Quæ miracula formæ!
Sæva pectora tigridum,
  Leonumque ferocitatem
  Amiſere. cubilibus
  Vallium, & nemorum jugis
  Riſit inſolitum Ver.
Panes ſilvicolæ, & procax
  Hirtorum Satyrûm manus
  Liquére intuitu novo.
  Napææ, & Dryadum chori
  Omnes obſtupuere.
Judex ipſe nimis grave
  Senſit judicis eſſe onus:
  Perluſtrans oculo hanc & hanc,
  Senſit, ſeſe iterum atque iterum
  In contraria ferri.
Jam tandem reliquis Paphi
  Precantem antetulit Deam;
  Unde is Paſtor, & Ilion
  Quondam flos Aſiæ, faces
  Suſtulere Pelaſgas.
Ulli, OCTAVIA, te parem
  Deæ dicerem; at hoc quoque
  Mi plenum eſt opus aleæ;
  Hæc ſententia non leve
  Habet noſtra periclum.
Dearum chorus expetit
  Omnis, te ut ſibi comparem;
  Certant nec minus acriter,
  Quam cum hæ munera cernerent
  Inſcripti aurea pomi.

Me ſub judice pendeat
  Ergo hæc cauſſa: ſatis mihi
  Eſt, te dicere corporis
  Pulchritudine nemini
  Dearum inferiorem.
Hocce lætitiam, & jocos,
  Hocce dat veneres chely,
  Lepóreſque, facetiaſque.
  Hoc mi reſtituit bonæ
  Robur omne juventæ.
Huic formæ o utinam foret
  Decus ſanguinis additum!
  At hoc eſt ſimul additum.
  Nupta quæ nova Nuptæ huic
  Compararier auſit?
Hujus Gens vetus, & Domus
  Germanas coluit plagas;
  Inde ceſſit in Italas,
  Fauſtæ inter ſonitus tubæ,
  Gradivique trophæa.
Bona cum alite ad Italas
  Veniſti, inclyta Gens, plagas:
  Bona cum alite ſplendidis
  Hanc tu ſedibus excipis,
  O Vicetia, Gentem!
Odericus enim hinc tibi
  Enſe, & eloquio potens
  Ille traditus eſt, tuæ
  Quem fecit celebrem omnibus
  Seclis cura ſalutis.
Succurrat tibi peſtilens
  Ecelinus, & horridum
  Minata excidium manus,
  Æternique tyrannidis
  Dura lege timores.

Luge-

Lugebant laceræ comas
 Matres, undique filiæ im-
 plebant queſtibus aera;
 Pavor mœnia pallidus
 Occuparat & horror.
ODERICUS at omnium
 Vindex, & Patriæ ſalus,
 Luctus, excidii, metus,
 Æternæque tyrannidis
 Cauſſas expulit urbe.
Mitto dicere cæteros
 Quos vel gloria prœlii,
 Vel pacis ſapientia
 Dignos ſemideûm choro,
 Alta evexit ad aſtra.
Mitto; nam nova talibus
 Nupta eſt orta Parentibus,
 Solum hinc dicier ut queat:
 Nupta quæ nova Nuptæ huic
 Compararier auſit?
Cujuſnam generis bona
 Fluunt Pallados e ſinu,
 Quæ Nuptæ MARIUS Pater
 Non exhauſerit impiger,
 Prima ab uſque juventa?
Cujuſnam generis bona
 Dant dii munera feminis,
 Quæ Nuptæ Genitrix novæ
 Pleno CÆCILIA ætheris
 Non acceperit imbre?
Vides, ut nova talibus
 Sit Nupta orta Parentibus,
 Jure dicier ut queat:
 Nupta quæ nova Nuptæ huic
 Comparariar auſit?

Verum jam venit, en venit ....
  Quæso, Nupta, age, quem putas
  Venire? Ecce venit, mihi
  Crede .... Dic age, quem putas
  Quæso, Nupta, venire?
Ille, quem nova jamdiu
  Nupta, mente soles habere;
  Ille, glauci Athesis prope
  Undas, quem celeberrima
  Nosti origine natum:
Ille, quem Soboles suæ
  MINISCALCHIA Patriæ,
  Commixta ÆMILIÆ dedit;
  VERONA unica cæteras
  Ut præcederet Urbes:
Ille ille ecce venit, tuo
  Ustus intima pectoris
  Amore; ut repetam libens:
  Nupta quæ nova Nuptæ huic
  Compararier ausit?
Venit: dic age, quid genas
  Istis, Nupta, ruboribus
  Suffundis? quid humi modo
  Inter muta silentia
  Pulchros ponis ocellos?
Conjux visne abeat tuus?
  Conjux, ergo abeas, rogo.
  Quid nunc quid cupidos humo,
  Audaci intuitu, precor,
  Quid nunc tollis ocellos?
Te contraria nunc docent
  Hinc modestia, & hinc amor.
  Hinc modestia nunc docet
  Humi ponere, & hinc amor
  Humo tollere ocellos.

Hac

Hac tu laude modeſtiæ,
  Hac tu laude & amoris ita
  Effulges; repetam ut libens:
  Nupta quæ nova Nuptæ huic
  Compararier auſit?
Aſt præcepta modeſtiæ
  Obliviſcere; quod jubet
  Amor, nunc facias. Jubet
  Te modo nitidos Amor
  Humo tollere ocellos.
Tolle ergo, & faciem Viri
  Fixis inſpice ocellulis.
  Vides? hercule dignitas
  Vultus quantum oculis placet,
  Suo ſparſa lepóre!
Illa nobilium decus,
  Virtutis ſoror, & comes,
  Illa huic indita comitas,
  Ultro nonne ſibi omnium
  Cor devincit amore?
Vis illa eloquii, & fluens
  Verborum lepor aureo
  Curſu, nonne ſtatim omnium
  Quidquid inciderit, ſibi
  Arrectas facit aures?
Nupta, hic optimus ecce adeſt
  Conjux, cumque ſuo ſciat
  Uſtam te intima pectoris
  Amore, in ſua te vocat
  Domus pergere tecta.
Jam nunc te Dominam vocat
  Domus, & Dominam domus
  Diligens famulantium
  Turba, totaque Civitas
  Pleno te ore vocabit.

Miniscalchia te Domus
   Exſpectat Dominam: domus
   Late molibus inſidens
   Vaſtis, & capite arduum
   Seſe ad ſidera tollens.
Domus, qua gradiens opum
   Admirabere copiam;
   Admirabere fulgidum
   Argentum, atque ebur Indicum,
   Uſtæ & vaſa Corinthi.
Uni ſtat tibi pulchrior
   Pars inſtructa Palatii,
   Cujus undique parietes
   Sericiſque tapetibus
   Lucent, lumine & auri.
Illo illuſtrius hoc magis
   Fertur eſſe cubiculum:
   Sed illuſtrius altero
   Quodnam ſit, ſinit omnium
   Vix videre venuſtas.
Aſt novum thalamum quibus
   Pingam, Nupta, coloribus?
   Hic Viri ingenium, atque opes,
   Hic mens artificum, & manus
   Viſum quidquid ubique
Eſt unquam pretioſius,
   Quidquid & fuit uſpiam
   Artis laude decentius,
   Id feliciter auſibus
   Evicere ſecundis.
Clara Laomedontii
   Quondam Regia Principis
   Quinquaginta habuit nurus;
   Diveſque his thalamos ſocer
   Quinquaginta paravit.

Au-

Aurum barbaricum undique
  Fulſit, & Phrygium undique
  Opus; cui Genitæ, & Parens
  Ciſſéis nitidas manus
  Admoviſſe feruntur.
Verum non ego quempiam
  Illorum anteferam tuo.
  Unus hic operis Phrygii,
  Auri & barbarici anteit
  Coloreſque, decuſque.
Conjux en vocitat tuus
  His te deliciis frui;
  Quas inter, facili dolo,
  Vix te limine ſenties
  Exceſſiſſe paterno.
Quid morare? iterum tuus
  Vir vocat: nova Nupta, abi.
  Inter oſcula, miſcuit
  Flexa lacrimulas Parens.
  Eja abi, nova Nupta.
Non has, crede mihi, elicit
  Ullas lacrimulas dolor.
  Ingens lætitia aſſolet
  Fletus elicere. Eja abi,
  Eja abi, nova Nupta.
En abit: tenera en Viri
  Inhæret manui manus.
  Tempus nunc canere in modum;
  O Hymen Hymenæe Hymen,
  Hymen o Hymenæe.
Modo Conjugis ut Viri
  Inhæret manui manus;
  Cordi ſic amor hæreat.
  O Hymen Hymenæe Hymen,
  Hymen o Hymenæe.

Ut

Ut crescit Veneri in dies
  Myrtus asia; ita hic amor
  Excrescat magis ac magis.
  O Hymen Hymenæe Hymen,
  Hymen o Hymenæe.
Ut semper viridi nitet
  Fronde laurus; ita hic amor
  Suis ardeat ignibus.
  O Hymen Hymenæe Hymen,
  Hymen o Hymenæe.
O factum bene! respice.
  Nos boni haud sumus impotes
  Voti: respice, respice.
  Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Jam Discordia venerat
  Diras concutiens faces;
  Jam, vestigia Conjugum
  Legens, currere cœperat,
  Si forte assequeretur:
Sed repente volantium
  Amorum jaculis fuit,
  Ut vi fulminis, obruta.
  Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
En veneniferæ solo,
  Misto pulvere, stant faces
  Nullis ignibus horridæ.
  Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.
Amores teneri huc & huc
  Ecce disjiciunt faces,
  Et molli pede conterunt.
  Io Hymen Hymenæe io,
  Io Hymen Hymenæe.

Hi vivent bene Conjuges
  Sub dulci unanimes jugo;
  Nec Diſcordia mutuos
  Quibit, ſæpius ut ſolet,
  Hic diſcindere amores.
Aſt unum ſupereſt adhuc,
  Dive tædifer; hoc volo.
  Hoc in tempore Rexicus
  Nil optabilius poteſt,
  Nilque debet habere.
Ni confideret hoc fore,
  Pigeret prope Rexicum
  Lyræ carmine tinnulo
  Jocos, & juvenilia huc
  Uſque concinuiſſe.
Quin imo penite aſpero
  Amarore, medullituſque
  Ardens, non ſine turgida
  Bile, barbiton & fides
  Nunc elideret omnes.
Dive tædifer, inclytis
  Per te Conjugibus, brevi
  Natos tempore poſcimus.
  Squallerent ſine liberis
  MINISCALCHIA tecta.
Multa conſpicuum hoc Genus
  Nitet laude domeſtica,
  Quam longa ſerie eſt opus
  Indidem uſque vigentium
  Æternare Nepotum.
Non unum hæc habuit Domus
  Nomen quo Proavi, atque Avi
  Claruere; quod indidem
  Uſque progenie nova
  Inſtaurare neceſſe eſt.

Rur-

Rurſus hinc, age, JULII
  Nequaquam abſimiles Avis;
  Et SERTORII, & æmulæ
  Ducti gloriæ amoribus
  FRANCISCI exoriantur.

Eja age, exoriantur, &
  Prima ætate puelluli
  Ludant, ludere ſi lubet;
  Sed nullo abſtineant metu
  Enſe ludere ſumto.

Ludant; aſt hedera utiles
  Luſus, & Cythereïa
  Myrtus præbeat, aut coma
  Laurus perpetua virens,
  Textis rite corollis.

Dum ludunt, canat interim
  Vox mellita, quot in dies
  Curis, quotque laboribus
  Vates his ſtudeant caput
  Impedire corollis.

Ludant, molliculis adhuc
  Verſantes digitis ſacra
  Vatum carmina, ſeu quibus
  Romæ tempora, ſeu quibus
  Noſtra floruit ætas.

Dum ludunt, iterum canat
  Vox mellita, neque his, neque his
  Patrem dicier imparem,
  Noſtras, aut Latias velit
  Exercere Camœnas.

Quiſque, quam pote maxime,
  Quovis tempore, parvulis
  Avorum memoret decus:
  Hac arte inſolitas capit
  Vires excita virtus.

Arte


Arte hac, quem sibi tradidit
  Thetis cærulea, Æaco,
  Peleoque parem patri,
  Inter robora Pelii
  Chiron fecit Achillem.
Sed sat lætitiæ, & jocis,
  Lepóri, atque facetiis,
  Dive tædifer, est datum.
  Abit, sentio, jam bonæ
  Robur omne juventæ.
Usitata severitas
  Me rursum obruit, ac tremor,
  Tussisque, & querulus rigor.
  Rursum me premit horridæ
  Pondus omne senectæ.
Ergo, te auspice, Conjuges
  Vivant sæcula Nestoris,
  Silentemque probent senem,
  Quem desueta diu sibi
  Audivere canentem.



PAU-

PAULI LANA
PATAVINI.

ME quoque perlongo recreatum vix bene morbo
    Infueta cogunt fumere plectra manu
Non ulli reticenda lyræ Connubia veftra,
    Illuftres Sponfi, parque decus Patriæ.
Sed quæ prima canam poftremave? maxima quando
    Offert fefe oculis laudum in utroque feges.
Par Generis fplendor, Patriæque æquæva vetuftas;
    Ille fuis Atavis fulget, & illa fuis:
Idem frontis honor, vultus par gratia utrique,
    Atque animo Virtus par in utroque nitet.
Jam decedentem queritur VICETIA Sponfam,
    Quam VERONA fuo geftit habere finu.
Si juvat Italico, Romano aut carmine Sponfum
    Dicere, dicentem Phœbus & ipfe ftupet.
Virgineo libeat fi tangere pollice chordas,
    Ipfa Erato Aonia captat ab arce fonos.
Quam bene fecit Amor, qui tales junxit Amantes,
    Quorum opus externo carmine neuter habet!
Ergo tu verfu celebres, Sponfe inclyte, Sponfam:
    Tuque fono celebres, inclyta Sponfa, Virum.
Non meliora tibi, quam Sponfi carmina, Sponfa;
    Quam Sponfæ, melior nec tibi, Sponfe, fonus.



DO-

DOMINICI PII ROSINI

P. B.

QUID pulchræ lacrimis puellæ ocellos
Nitentes madidis gravatis omnes
Quot VICETIA continet puellas,
Cælum flebilibus modis replentes?
Num quod primus abit puellularum
Flos istinc alii additurus Urbi
Decus nobilibus (velut colore
Splendent purpureo vireta & horti)
Suis moribus illa dotibusque?
Ludis, lætitia viæ, atque plausu
Resultent potius, quod esse posthac
Et vestræ poterit locus minori
Luci, ceu rutilæ faces coruscant
Cælo sidereæ, cadente Sole.
At contra quæ Athesim colunt, puellæ
Demittant hilares ubique vultus,
Illis nec resonent in ore cantus,
Qui nunc dulcisonis fluunt labellis.
Quid lætas pedibus leves choreas
Ducunt? quid citharis docent remotas
Formosam resonare ubique silvas,
Huc quæ juncta Viro venit, Puellam,
Cunctis qui volitat per ora; laudes
Omnes cui tribuunt; avita cedit
Cui fama eximia, & quem amant Camœnæ
Alumnum? gravitas renidet ore
Dulcis sub roseo, comesque Virtus,
Senem quæ deceant; benignitate

Cun-

Cunctos perplacidi attrahunt ocelli.
Tali juncta Viro venit Puella,
Cujus debuerant beare pulchram
Ex illis aliquam puellam amores.
Vobis, Par Juvenum, quibus dederunt
Virtutem Superi parem, decusque,
Fluant lætitiæque gaudiumque,
Et longum bibite, ut die hac, amorem.



ANDREAS BASSANUS PORTUS-NONENSIS VINCENTIO VICARIO VICETINO.

VINCENTI, Musarum amor, & dulcissima Phœbi
Cura, decus Vatum, VINCENTI, OCTAVIA dum se
CAPRA MINISCALCO nuptum parat ire, suique
Vos desiderio tabentes linquere inani,
Mene jubes suaves inter strepere anserem olores?
Ergone repenti dotes hoc carmine laudem,
Aut queis dii faciles animum ornavere Puellæ,
Aureolos propter mores quæ digna beatis
Vivere cum Superis, atque has contemnere terras,
Omnigeno plenas vitiorum germine terras;
Aut quas assiduo peperit sibi nava labore?
Scilicet ut varias, proprios ceu calleat ungues,
An referam Linguas? doctis ut cymbala pulset
Articulis? ut amabiliter suavissima vocem
Flectat? ut alterno ad numeros quatiens pede terram
Spectatum quotquot veniunt, convertat ocellos?
An cantu faciem connitar tollere agresti,
Ignitas faciem jaculantem sæpe sagittas?
Cæsariem specto? Beroniceâ esse videtur
Dignior ista mihi, numerum quæ sideris auctet.
Specto oculos? falsos mox Græcos judico: quorum
Affirmant Charitas tres tantum scripta fuisse,
Sponsæ oculus quando centum vel pullulat unus.
Quid memorem tinctas nativo murice malas?
Quid corpus solidum? Regina est altera Cypris,

Cum ſtetit ante Parin ſummis in collibus Idæ,
Qua forma, o Superi! ut caperet mala aurea victrix.
Hæc ſi te abripuit, penituſque abſorbuit, ah quis
Te culpet? quis non, ALOYSI candide, laudet?
Par Genus amborum eſt; par eſt in pectore Virtus:
Divitiæque pares: nulli ut mage congruat illud,
Quam tibi, Nupta: *Pari, cupias ſi nubere, nubas.*
Et tu, docte MARI, laudum ſeges ampla, laboris
Pars o magna fores, tantum ſi ferre laborem
Noſtri humeri poſſent, oneri nec cedere ſcirent.
Fertur equus quondam laſſus ratione viarum,
Et nimio rerum quas ferret, ponderis æſtu,
Enixis ſocium precibus lacrimiſque rogaſſe,
Æque partiri bulgas ut vellet: at ille
Excipere orantem riſu duriſſimus: ægre
Sed poſtquam injuſtam infelix tulit iſte repulſam,
Proceſſit paullum; cum pondere preſſus iniquo
Poſtremis vacuas percuſſit calcibus auras,
Et noto jacuit terris ſine nomine corpus.
Quare noli humeris onus hoc imponere noſtris,
VINCENTI; ſed tu, manſura Poemata ſæclis
Nuper qui dederis venientibus, optime Vates,
Tu Genus, & formam Juvenum, tu verſibus orna,
Quos tua Caſtalio tibi dictat Muſa ſub antro,
Virtutem, & dextro conjunctas alite dextras:
Nec MARIUM ſileas: illum tu dicere; & ille,
Ille tuo pariter laudari eſt carmine dignus.
Baſſanoque tuo mittas haud immemor; hic nos
Qua torquet Naucelus aquas, tua ſcripta legemus.
Attonitæque aderunt, exſtantes gurgite flexo,
Illuſtres animæ circum, Naucelides Umbræ,
Quæ tua miratæ ſublime ad ſidera tollent,
COTTA, FRACASTORIUS, NAUGERUS, carmina, BEMBUS.

VIN-

VINCENTIUS VICARIUS ANDREÆ BASSANO PORTUS-NONENSI.

SI quantum cupio, possem, BASSANE, tuisque
Musa mihi similes dictaret blandula versus,
Antiqua Augusti redolentes tempora versus,
Condítos dulci Grajûm Flaccique lepóre;
Jampridem cæli pertingeret ardua nomen
Illius CAPRÆ, quem te quoque suspicere ingens
Doctrina & raræ virtutis fama coegit,
Ut simul his nostris tua te fors appulit oris:
Et Bericæ valles io Hymen Hymenæe sonarent,
Carmine quo Peleo cecinerunt omina Parcæ
Libratos tereti versantes turbine fusos.
Sed neque eum me egomet, quem tu mentiris amanter,
Crediderim sanus, pravis & versibus illum
Stulte urgere pudor refugit meus. Hæc modo quæ ad me
Misisti, confecta meo, BASSANE, rogatu,
Dum studeo officii huic aliquam dissolvere partem,
Judicium hæc subtile decent illius & aures;
His illum & Natam satis amplo munere donem.
Sed quæ ego stridenti dispergo tristis avena
Hic, ubi Bacchilio vicina se egerit Urbe,
Dum queror hosce meos non apparere labores,
Dignos fortuna certe meliore labores,
Ni hæc proprio externos suesset præponere terra;
Nec MARIUM hæc, BASSANE, decent, nec quam alite fausto

 Junget

Junget Hymen cupido mox & Cytherea Marito.
Sullæ res geſtas multis gratantibus olim,
Et quidam e populo victori acceſſit, ut ajunt,
Commendaret ei quo ſeſe verſibus, atque
Victrici injecit confecta epigrammata dextræ.
Quæ advertens inſulſa mali, & male farta poetæ,
Haud tenuit riſum tanti gravitas viri; & illum
Donari laudum præconem juſſit ineptum
Conditione ſub hac, faceret ne poſtea verſus.
Vive, vale; patrio Nauceli fonte relicto,
Huc propera ad dulces valde exſpectatus amicos.



MARCHIONIS
MARCII CAPRA
SPONSÆ FRATRIS.

FORTUNAM, Germana, tuam dum mente revolvo,
Atque illam cum hac dum confero ſorte mea;
Cælicolûm ſimilem clamo te vivere vitam,
Nil me uno in terris eſſe magis miſerum.
Tota domus tibi culta nitet, tibi purpura, & aurum,
Aurati currus, luciduli lapides,
Et choreæ, & plauſus, genus omne & deliciarum,
Quodque cupis, ſubito cernis adeſſe tibi.
Præterea thalamum talis tantuſque parat nunc
Vir tibi, nupta Thetis Peleo ut invideat.
Me contra immitis cuſtodia ſæva magiſtri
Abductum patria territat uſque domo.
Cogor & aſſidue ſcamnoque hærere libriſque;
Maximum & inde oculos tollere flagitium eſt.
Nec minus hic ventri, quam animo male; tempora ſomno
Haud longa, at longo plena labore dies.
Tu, Germana, tamen, bona tot quæ tantaque adepta es,
Candida tam multis ora rigas lacrimis?
Quî poſſum, inquis, dum patria atque utroque Parente
Avellor, nullas fundere lacrimulas?
Vis doceam? auſculta: ſortem, Germana, tuam iſtam
Cum ſorte hac fratris confer & ipſa tui:
Tum abſcedent lacrimæ, & nil te felicius una
Eſſe, magis me uno rebere nil miſerum.

MARCHIONIS
GABRIELIS CAPRA
SPONSÆ FRATRIS.

DUM patriam & dulces linquens, Germana, Parentes
Pergis ſanctus Hymen quo, & Venus alma vocat,
Ne indonata abeas fraterno munere, parvo
Te puer hoc dono munere Pieridum.
Hoc unum quo te donem, mihi ſuppetit: at tu
Ne ſacra Muſarum munera parva puta.
Carmine namque pio fuerit quæcunque precatus
Aut puer, aut ſuperos caſta puella deos,
Eventura deûm pater annuit; ille Camœnas
Diligit, has illi Mnemoſyne peperit.
Quidnam igitur voveam tibi nunc, dum Nupta cupiti
In jura atque domum tranſis ALOYSII?
Nempe hoc; ut felix ſis tuque tuuſque Maritus,
Ut ſemper vobis mutuus adſit amor;
Nec veſtras unquam ſubeat Diſcordia ſedes,
Quæ abrumpat ſancti fœdera conjugii.
Hinc tibi cedenti hæc, Soror, adprecor: hæc eadem vel
Abſenti haud ceſſabo uſque rogare deos.



AD

AD SPONSUM PICTVRÆ STUDIOSUM

JOANNIS BAPTISTÆ SARTORI

A T E S T I N I.

PINGE flammeolis Puellam ocellis,
Pinge purpureis genis Puellam,
Adde & purpureis genis Puellæ
Nives virgineas; ſit uſque, & uſque
Lacte candidior ſinus recenti,
Nec non pes deceat, manus, capilli.
Hanc circum Charites volare certent
Texentes capiti aureo corollas,
Amoris Charites bonæ ſorores:
Et comes volitet bonus ſororum
Componens digitis Amor capillos.
At prius roſeo incubans labello
Ardens, atque oculis dein, geniſque
Ipſe in ſe faculas Cupido vertat:
Verba quin Dominæ hauriens hiulco
Ore, molliculas locutiones
Diſcat Gallia quas ſolet referre;
Et diſcat, Domina manus movente,
E lyra digitis ciere cantus.
Quid ceſſas? age; ſume penicillos,
Sume, candide Sponſe, penicillos,
Namque eſt quod ſupereſt, magis decorum.
Stet hinc magnifico ſuperba amictu
Virtus, & niveo caput decenter
Stet Pudicitia hinc operta velo:
Sed illam cupidis ſtupens ocellis

Spectet altera, & altera osculetur
Hos fundens hilari sonos ab ore:
Felix, hanc bene qui Puellam amarit,
Felix, hæc bona quem Puella amarit!
Ergo oh supra homines beatiores,
Te, Pictor, magis & magis beatum!
Nam quæ tam varie decora fulget,
Ipsa ipsa est toties cupita Virgo,
Virgo deliciæ, tuique amores,
Eo pulchrior omnibus puellis,
Quo est te dignior omnibus puellis.

FRANCISCI FORTUNATI VIGNA
VICETINI.

EN properat vestri nunc Sponsa ad fluminis undas,
Nymphæ Athesis, linquens Bacchilionis aquas.
Capra, cui Genitor Marius, cui Trissina Mater
Cæcilia; ambo pares sanguine, divitiis,
Majorum splendore; mage at virtutibus illis
Quas animus pandit nobilis innumeras.
Egregio Prolem venturam dicite Sponso;
Dicite Avo similem, vos, similem atque Aviæ:
Et similem patriis quoque Avis fore, dicite, Nymphæ,
Qui Gentis tantæ sunt decus, atque Athesis.
Dulcis adest & Hymen, castusque Amor omine læto.
O veniant citius quæ bona fata canunt!



JOAN-

JOANNIS MARIÆ RIZZETTI
ATESTINI.

MAGNIS clara Atavis, cælo quos inclyta Virtus
  Intulit, & paſſim Fama recenſet anus,
Inſignes victo ductis ex hoſte triumphis,
  Doctarumque bonis artibus Aonidum,
Clara Patre, excultam cujus ſapientia mentem
  Ornat, & eloquii flumina ab ore fluunt,
Clarior at propriis virtutibus, optima Mater
  Quas uſque exemplis indidit eximiis,
Bergæas inter, formoſa OCTAVIA, Nymphas
  Fulgebas patrii gloria prima ſoli;
Plaudebatque ſibi luce exornatus amica
  Bacchilio tantum lætus adeſſe decus.
Verum, heu! non patriæ dederunt te fata perennem
  Olli aſſueta decus præcipuum rapere.
Mox etenim externas procul hinc migrabis ad oras
  Juncta maritali fœdere ALOYSIO;
Ac dum facundi certabunt dicere Vates
  Queis præbet dulces Muſa Latina modos,
Ut flagrans & purus amor vos junxit, & alma
  Conjunctos ſervet non ſolüenda fides,
Quam faciles ornent te mores, quamque venuſti,
  Quique tibi roſeo fulgeat ore decor,
Ut tuo ALOYSIO naſcenti riſit Apollo,
  Puraque Caſtaliis ora rigavit aquis,
Venturoſque canent Natos, qui utriuſque perennes
  Virtutes referent, & decora alta Domus,
Mollia candidulis tundentes pectora palmis
  Mærebunt imo in flumine Naïades,

Bacchilioque pater prærepto mæſtus honore
    Segnes curſu undas languidiore trahet.
Te compellabunt iterumque iterumque dolentes
    Excelſo Bergæ e vertice Hamadryades,
Atque tuum circum reſonabunt undique nomen
    Percuſſæ valles, pulſaque ripa ſimul.
At tu dilectam poſtremo amplexa Parentem,
    Quæ te hanc blanda ſinu fovit ad uſque diem,
Luce nova fulgens, regali & ſplendida luxu
    Perges quo dudum fataque, Amorque vocant.
Ardentes quaſſans tædas, ornataque flore
    Cinctus amaracino tempora ſanctus Hymen
Urbe abſcedentem præcedet, & omine fauſto
    Ad thalamum cupidi ducet ALOYSII:
Tum niveas nexæque manus, hilareſque choreas
    Ducentes trijuges, ſacra corona, Deæ,
Et Jocus, atque illi comes indiviſa Voluptas
    Dulci perfundens pectora lætitia,
Idaliuſque Puer inflicto vulnere gaudens,
    Atque ſimul nitida fronte benigna Parens
Ludent hærentes lateri circum: aureum ab ore
    Effundet ſolito fulgidiore jubar
Phœbus, curru & qua præterlabére volanti,
    Ridebit tellus floribus aucta novis.
Aſt ubi ad illuſtrem Brenni perveneris Urbem,
    Armipotentis divæ, Aonidumque domum,
Sedibus e vitreis certatim proſilientes
    Nymphæ te feſtis plauſibus excipient:
Quin pater ipſe Atheſis miratus, maxima reddit
    Quæ ſibi nunc fidus munera Bacchilio,
Continuo canum caput imo e gurgite tollens
    Hos madido lætos fundet ab ore ſonos:
Tandem ſidereo Titan invectus olympo
    Optatum rutilo protulit ore diem

Quo caræ amplexu divulsa, OCTAVIA, Matris
    Aureolo teris hæc litora nostra pede.
Sis felix, Sponsa o Divis gratissima, salve,
    Sponsa MINISCALCO tam bene nupta Viro.
Si nuper Bericas inter pulcherrima Nymphas
    Ornamentum ingens Civibus & Domui
Bacchiliona tuum forma præstante beabas,
    Maxima cura deûm, maxima cura hominum;
Me quoque me posthac forma præstante beabis,
    O decus, o Nymphis lux nova juncta meis,
Ut me magna tuæ Germana SAVINA Parentis
    Ornat jam pridem dotibus egregiis.
Felix o LODOIX, cui divûm munere talem
    Sponsam perpetuo fœdere junxit Amor,
Quam externæ, indigenæque stupent matresque, nurusque
    Mente, animo, vultu, moribus eximiam,
Cui Juno incessum, Charites tribuere decorem,
    Ipsa suis manibus finxit & ora Venus:
Quæ seu pingit acu Majorum grandia facta,
    Nobile opus doctæ Pallados esse putes:
Seu cithara recinit dulces queis uritur, ignes,
    Præstanti magnas æquat in arte deas:
Seu tenero ore refert mollissima verba, videtur
    Enutrita tuo, Gallica terra, sinu.
Plaudite certatim lætantes, plaudite, cives,
    Laudibus & magnum tollite Conjugium.
At vos ite hilares, Divis o faventibus, ite,
    Sponsi, atque usque aureos ducite & usque dies.
Optati venient Nati volventibus annis,
    Inclyta qui Phœbi gloria, Martis honos,
Et vos & Proavos notis virtutibus æquent,
    Et Domus & Patriæ nomen ad astra ferant.



CLE-

CLEMENTIS SIBILIATI

PATAVINI

AD SPONSUM

POETICIS STUDIIS DEDITUM.

Si, Sponſe, Hendecaſyllabis tuos me,
Sponſæ & vis teneros referre amores;
Illam mi citharam bonus mihi illam,
Illam porrige qua tuos frequenter
Et Sponſæ libuit referre amores.
Nam fama auriculis meis ſuſurrat
Vatem te lepidum eſſe & elegantem,
Ac dignum patria eſſe te Catulli.
Tunc OCTAVIÆ ego dediſſe dicam,
Genis purpureum roſas colorem,
Lucem ſidera lucidis ocellis,
Candorem niveis liguſtra membris,
Riſum afflaſſe deam Cypri labellis,
Mentem Pallada, Gratias lepórem.
Ac te, cui ſociant dii Puellam,
Pulchram corpore, mente pulchriorem,
Uſque carmine, & uſque prædicarem
Beatum magis omnibus beatis.
At quid verſiculis meis tuarum
Inſignes ego Nuptiarum honores
Cantem peſſimus omnium poeta?
Cum mi nec ſimilem Thalia venam,
Nec pares amor excitarit ignes.
Dicunt namque viri eruditiores,

Amo-

Amorem faciles docere verſus;
Ac tu id ingenue potes fateri,
Qui poſtquam ureris intimis medullis,
Factus doctior, ut puto, poeta es.
Quare mi veniam dabis benignus,
De te ſi taceam, ac tua Puella:
Non ſum nempe poeta, non amator.



PAULI LANA PATAVINI.

NYMPHA VICETINA DISCEDENTEM SPONSAM CONQUERITUR.

LUGETE, o Berici jugi puellæ,
Lugete, o quibus eſt decus, voluptas
Curæ: nam Berico e jugo Puella,
Illa, illa inclyta amabilis Puella,
Tam culta omnibus, & colenda cunctis,
Semper, noſter amor, decus, voluptas,
Ad colles alios migrat, locoſque.
Lugete, o Berici jugi puellæ,
Cedentem Berico jugo Puellam.
Illam nobilium cohors Avorum
Ornat, quos numeret, ſciat nitentes
Qui ſtellæ æthere quot micent ſereno.
At te quî ſileam, MARI, Puellæ
Quo nullus melior parens Parente?
Te mores decorant probi, benignum
Omnes te memorant, & hoſpitalem.
Doctæ Pierides ſinu tenellum
Jam fovere, & adhuc fovent amantque,
Interque annumerant ſuos poetas.
Nec te prætercam, verenda Mater,
Matronalem animum, decus, lepórem
Cui largi dederunt, bonique Divi.
Sed te non aliam decet Parentem
Eſſe, illa eximia ſatam Parente,
Quam puto, Charitas manu ſuapte

Fin-

Finxiſſe aſſimilem ſibi & gemellam.
Vivat Neſtoreos, & ultra, ad annos
Matrona hæc animo nitens virili:
Mente, & viribus uſque & uſque firmis
Senex damna malæ haud ferat ſenectæ.
Tam claris veniens Avis Puella,
Tam claro veniens Puella Patre,
Tam clara veniens Puella Matre,
Inſuper variis & ipſa Divûm
Micans muneribus, modeſta vultu,
Nec formoſa minus, minus nec artes
Tractare Aonidum perita blandas;
Tantis ſplendida dotibus Puella
Ad colles alios migrat, locoſque.
Lugete, o Berici jugi puellæ,
Cedentem Berico jugo Puellam.
Heu crudelis Amor, Venuſque ſæva!
Viſi ergo Berici carere colles
Sponſo quem deceat Puella talis?
Heu! VERONA, bonum invides, rapiſque,
Quod nulla ex animo dies revellet,
Luctu perpetuo bonum dolendum.
Lugete, o Berici jugi puellæ,
Cedentem Berico jugo Puellam.



P. C.

P. C.

P A T A V I N I.

QUID quod plus solito pulsis circum undique nimbis
Æthere fulgentes emicuere faces?
Quid quod plus solito placidi stant aere venti,
Spirat & adversis mitior aura jugis?
Lenius arguto resonant modulamine cycni?
Proximus auritas sustinet amnis aquas?
Agnosco: celeres, o tandem accurrite Nymphæ,
Silvaque quotquot habet numina, quotquot ager.
Vos quoque communi sublatos murmure plausus
Concordes paribus consociate modis.
En illa, en vestri pars formosissima cœtus,
Qua melior, qua non altera amabilior;
Cui Juno incessum, facilis cui Gratia mores,
Docta Minerva manus finxit, & ora Venus;
Alba verecundo suffundens ora rubore
Destituit patrios jam modo Sponsa lares,
Firmatosque petit sociali jure Hymenæos,
Atque maritalem flore decora thorum,
Illius dives sibi quo gratatur alumno
VERONA, irriguis quam secat amnis aquis;
Cui nivei mores, casto cui pectore candor
Incubat, ore fides integra, fronte decor,
Suaviter & placidum cui grata modestia vultum,
Verba pudor, dulcis temperat acta modus,
Illius subit amplexus atque oscula Amyntæ,
Unus qui juvenum gaudia, ocellus, honor.
O fortunatos nimium, consortia quorum
Æterno jungit fœdere corda fides,

Tuque

Tuque, o læte nimis formoſa Conjuge Conjux,
Nec minus hoc felix Sponſa potita Viro!
Quam vos læta manent repetitis ſæcula ſæclis,
Sternuit & fauſtum mutuus omen Amor!
Quam felix ſurget tali de ſemine germen,
Augeat antiquum quod decore inde decus!
Hinc iterum Heroas veniens mirabitur ætas,
Quos dudum nulla deperitura die
Gloria ſacratos illuſtribus in monumentis
Æternum ſuperis addidit ordinibus.
Interea placidus nunc vobis dulciter afflet,
Pectoraque alternis urat Amor facibus.
Sitis felices; vos arcto fœdere junctos
Excipiat nulla aut tarda ſenecta pares.



JOANNIS TRETII

VERONENSIS, ARCHIPRESBYTERI.

ADVEHE, Phœbe, diem a rubro festinus Eoo;
Et nox pulsa tuo lumine diffugiat;
Utque Aurora tuum referat maturius ortum,
Tithoni e thalamo conjugis exsiliat;
Lux optata feret veniens nam dulcia secum
Magno Athesi, & parvo gaudia Medoaco:
Qua Juveni felix OCTAVIA nubit amanti
Claro Atavis, animo sed magis eximio.
Illam hominum genitrix VICETIA belligerorum,
Egregiisque viris inclyta progenuit;
Illum armis VERONA potens, studiisque Minervæ,
Ac summis peperit vatibus usque virens;
Gentis utrumque suæ exornant insignia facta,
Laudatæque usu divitiæ & cumulo.
Nec potior venit ambobus laus Gente ab Avita,
Aut ab opum perquam divite congerie;
Sed magis ornatu pulchræ virtutis ab omni,
Quo viri utrumque, probæ suspiciuntque nurus.
O flos nobilium juvenum formose ALOYSI,
Indole, & ingenio quantus es ipse tuo!
Quam bene & ipse refers clarum virtute Parentem,
Et Matrem ingenuæ laude pudicitiæ!
Tu dignam accepto traducis sanguine vitam
Comis & erga homines, & pius in Superos.
Nec tibi fert animus tumefacto incedere fastu;
Nec miseram ipse audes temnere pauperiem,
In qua nempe Dei fulgere auctoris imago
A te fido animi cernitur intuitu.

Verum

Verum ne ulla tibi laus deforet, altus Apollo
Carmen, & Aoniæ te docuere deæ;
Teque fovent Musæ quas Lydius educat Arnus,
Et quarum Etrusca est ora diserta parens;
Quæ Vate insigni Lauræ, quæ jure superbit
Altiloquis magni cantibus Aligeri.
Has sic ipse colis, Phœbo aspirante, Camœnas,
Ingenii ut fœtus adprobet ille tui.
Hinc tibi promeritam Parnassi in vertice laurum
Ortæ Aganippeo flumine Thespiades
Fontis alunt alacres nativi mollibus undis,
Illa tuum ut fiat præmium, honorque comæ.
Nil igitur mirum, tibi quod lectissima Virgo
Sic numeris virtutum omnibus, ut genere
Traditur, & cui tanta nitet toto ore venustas,
Ut Gnidi divam vincat, & Eurynomen.
At jam tempus adest, quo sacra jugalia fiant,
Binaque jam concors corpora jungat amor.
En miro prodit nimium spectanda decore
Cognatos inter candida Nupta choros.
Ac talis comites inter venit obvia Nymphas
Exsuperans pulchris sidera luminibus,
Quale micat cælo rutilans Amathuntidis astrum
Omnibus æthereis splendidius facibus.
O quæ circumstant Sponsam decora alta pudicam!
Cui MARIUS Pater est, CÆCILIA & Genitrix:
Ille Genus prisco CAPRIORUM a sanguine ducens,
Clara hæc a summis TRISSINA Mater Avis.
Gens unde est Pater exortus, bellique togæque
Muneribus magnum nomen adepta sibi est.
Sueta novum antiquo semper decus addere honori,
Charaque vel magnis Regibus esse diu;
Scite etenim in claris docuerunt sæpe Lycæis
E CAPRIIS aliqui jura verenda Viri.

Atque alii impavidum Martem, feraque arma secuti
Insignes belli sæpe fuere Duces.
At non ille minor Majorum laude suorum
Haud ulla ex istis frangitur invidia;
Nam magno in pretio se conspicit esse apud omnes
Europæ Dominos, inclytæ & Ausoniæ;
Quod miræ Actææ tenet omnes Palladis artes,
Præclare Etrusco scribit & eloquio.
Nec minus eximie Latiali plurima lingua
Scribit doctrina magnus, & ingenio;
Cujus in haud levibus multa est solertia rebus,
Dignus qui est alter dicier inde Solon.
Laudibus his igitur mire præstantibus aucti
Vos, quos junxit amor, jungat ut inde thorus,
En Helicone venit propere jam missus ab alto
Flammiger astrivagæ filius Uraniæ.
Tolle, Hymenæe, facem, & flavam redolente amarantho
Cinge comam, & læta dic bona verba die.
Mutua utrinque fides verbis datur; atque ita dulci
Rite animam vinclo nectis utramque tuo.
Conjugium o felix, cui fausto arridet Olympus
Omine, quo Reron plaudit ovans Athesi;
Isque exsultantes volvit cum murmure lymphas,
Najades ad lusus excit & iste suas;
Quæ mox fatidico hæc edunt præsagia cantu,
Proxima cui reboans accinit ora simul:
Numina ni fallunt, VERONÆ commoda nostræ
Multa tuis venient, Nupta, puerperiis;
Namque MINISCALCO Generi dabis, inclyta Virgo,
Haud modicam inde suo tempore progeniem,
Quæ virtute pari exæquans celeberrima Avorum
Nomina sit Patriæ luxque, decusque suæ.
Sic per te Urbs ævo felix erit ista futuro,
Tuque tuo insignis munere semper eris.

JOAN-

JOANNIS ANTONII VULPII,

IN GYMNASIO PATAVINO PUBLICI RHETORIS AC PHILOLOGI,

ACADEMICI PHILARMONICI,

CARMEN

Trochaicum tetrametrum catalecticum.

QUÆ puellas vincit omnes flore pulchritudinis,
Et videri nata possit de Sabino sanguine;
Sic venustas fœdus icit cum pudicis moribus;
Illa Virgo fax Amorum prænitens OCTAVIA,
Nobilis, diserta, Sponso nubit ALOYSIO.
In rosetis quam decentes educarunt Gratiæ,
Post Minerva fasciarum jam solutam vinculis
Gessit in sinu, doctâque sæpe demulsit manu,
Artibusque delicatis eruditam protulit;
Illa Virgo fax Amorum prænitens OCTAVIA,
Nobilis, diserta, Sponso nubit ALOYSIO.
Illa Virgo, cui columbæ, cycnus, & splendens ebur,
Lac recens, & quæ frequentes decidunt cælo nives,
Uniones in marinis qui latent conchyliis,
Marmor excisum Paro, vel montibus Ligusticis,
Lilium, ligustra cedant, cuncta demum candida;
Illa Virgo fax Amorum prænitens OCTAVIA,
Nobilis, diserta, Sponso nubit ALOYSIO.
Plaude nunc, VERONA, claris læta plaude nuptiis,
Cerne donum singulare fertilis VICETIÆ:
Num Cythera forte, dices, num Paphon liquit Venus?
Par Dionæ pulchra Virgo molle præfert cingulum,
Cingulum potens amoris excitare incendia.
Plaude nunc, VERONA, claris læta plaude nuptiis;
Teque lusibus vacantem, deditam conviviis

Audiat

Audiat Benacus, urna qui reclinis aurea
Limpidum lacum virentes fundit inter Najadas.
  Tuque Virgo fax Amorum prænitens Octavia,
Flecte amabiles ocellos nunc ad Aloysium,
Quos benigna dum sopore, manè, misso detegis,
Prata rident, herba floret, lucet æther puriùs:
Hos amabiles ocellos, unde tela prodeunt
Dulcius factura vulnus & favis Hymettiis,
Et liquoribus Falernis, Indicaque arundine.
  Jam labella pande, Virgo, quæ rubore vicerint
Punici fragmenta mali, purpuram, coccum, rosam,
Et fugantem noctis umbras divitem carbunculum.
Jam labellis verba prome, verba verticordia,
Verba, deturbare fulmen quæ manu possint Jovis.
  At, Marite, parce dictis. laudo fortunas tuas;
Gaudium decet maritos: at modeste gaudeas;
Nam tacendo mitigare convenit Rhamnusiam.
  Quale flumen, aut soluta turgidus torrens nive,
Currit annus incitatus, hora pernix avolat,
Et rapit secum puellas, & rapit fortes viros.
Sponse felix, Nupta florens, exhibete Liberos,
Qui Parentum dignitatis admonebunt posteros,
Sarcientque per Nepotes cuncta damna temporis.
  En Hymen cælo refulsit: nunc decet silentium.
Sponse felix, Nupta florens, jam valete ac vivite.



